



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE BEATAE MARIAE TEMPLUM BEATAE MARIAE VIRGINIS
MATRIS BONI CONSILII,

IN LOCO CAPODIMONTE VULGARI SERMONE COGNOMINATO SURGENS, IN

ARCHIDIOECESI NEAPOLITANA, AD DIGNITATEM BASILICAE MINORIS EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. –

Beatae Mariae Virginis laudem, gloriam et honorem usquequaque augeri, semper quidem et optavimus, et, quantum in

Nobis maxime fuit, curavimus. Nam non solum est illa Christi Mater, ob quam excelsam dignitatem omnes creaturas

antecedit, sed etiam mater nostra omnibus cumulata virtutibus, ad omnium nostrum exemplum, quotquot mortales ad

caeli oras tendimus. Est praeterea «omnipotentia supplex», quae filiorum suorum preces non spernit. Qua re, cum

Venerabilis Frater Noster Conradus S. R. E. Cardinalis Ursi, Archiepiscopus Neapolitanus, suo clerique fideliumque

nomine ab hac Apostolica Sede petierit, ut templum Beatae Mariae Virginis Matris Boni Consilii, in loco Capodimonte

vulgo cognominato in sua archidioecesi situm, ad dignitatem Basilicae Minoris eveheretur, Nos, structurae, artis,

pulchritudinis eiusdem sacrae aedis ratione habita, tanti Fratris ac Praesulis precibus concedendum esse putavimus.

Quae cum ita sint, iis probatis quae Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino de re statuerit factis olim a Nobis

facultatibus, apostolica Nostra auctoritate templum de quo sermo fuit B. M. V. ad honorem atque dignitatem Basilicae

Minoris tollimus, cum iuribus atque privilegiis rite competentibus, iis tamen servatis, quae iuxta decretum «De titulo

Basilicae Minoris» die sexto mensis Iunii factum, anno millesimo nongentesimo sexagesimo octavo, servanda sunt.

Confidimus autem ut aucto templi honore, etiam pietas erga divinam Christi Matrem augeat in pectoribus, in eius

adorandi Filii laudem. Contrariis nihil obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die II mensis*

Ianuarii, anno MDCCCCLXXX, Pontificatus Nostri altero. AUGUSTINUS Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis ©

Copyright 1980 - Libreria Editrice Vaticana